

dem per Allegrium legatum a Pontifice petierant; qui rei novitate vehementer est commotus, quod effractis religionis vinculis, cuncta pro libidine agere, Lotharingæ Cardinalis prorsus elevare auctoritatem, dignitatemque obterere vellent, qui a regio consilio ad Synodum missus, magna pars in eo fuerat, postulata Regis nomine obtulerat, theologorum, atque Antistitum haud exiguum numerum secum duxerat. At cum Carolus quartum ac decimum annum egressus, ex lege, Galliæ gubernacula suscepisset, eaque eximia virtutis, religionis, ac prudentiæ argumenta edere cœpisset, Gallia non modo in sumnam pristinae recuperandæ dignitatis spem est erecta; sed, ut tandem unanimi Principum consensu Synodus perficeretur, maxime sperandum videbatur: cum præsertim Pontifex Concilii legatis scripsisset, ut quæcumque ad reformationem attinerent, sedulo curarent: iis, quæ a Concilio decernerentur, ut cuncti obtemperarent, omnem operam, ac studium adhibiturum. Nulla itaque de Romani Pontificis auctoritate mentione facta, multa ad prolapsam ecclesiasticam disciplinam instaurandam sancita, ac decreta sunt. Neque prætermittendum est, Joannem Grimani, Patriarcham Aquilejensem, pravorum hominum, quod minus catholice in Epistola quadam de prædestinatione scripsisset, calumniis appetitum, summo cunctorum Patrum consensu ab omni noxæ suspitione immunem judicatum fuisse: magnaque lætitia ob eximium, quo Patriarcham complectebantur, amorem perfusi Patres, non modo cum eo per literas sunt gratulati, verum etiam, ut insignis viri famæ, atque honori consulerent, præclarum de illo Patrum judicium Regibus, ac Principibus christianis significarunt.

Dum hæc in Italia geruntur, ac ad firmandam religionem Principum intentis animis, arma in Europa conquiescunt, Juliæ Cæsareæ, quod hodie *Algerium* vocatur, Rex, qui maritimas Lybiæ oras obtinebat, Orani recuperandi (quod oppidum paucis ante annis Hispani occupaverant) cupiditate incensus, Arabum, ac Turcarum decem millium peditatu coacto, Dragute cum triginta triremibus socio adscito, oppidum aggreditur, tormentis viginti quater inceptit. Barbarorum impetum fortiter Hispani propugnatores exceperunt, crebris eru-

*Concilii de
Joanne
Grimano
Aquileiensi
Patriarchæ
decretum.*

ptio-